UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Qvatvor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conuersione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

20. De Legatis in Sinas à Pontifice mittendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

Visual Library

carceris , curam omnem opemque ferentibus. Alchimiſtæ duo , furis
ſupplitio territi triangulare vitrum , ſpontè ad Ruggerium retulere,
Irati nihilominus quod illatum ſibi a fure damnum, ementito ipſius no-
mine non ſarciret , & recederet Sciaochino , furorem in Sanden acue-
runt qui ſuffectus Ruggerio fuerat.

Præteruectos hunc ſcopulum Patres , mox alius terruit longè illo
formidabilior Tutanus ſeu Prorex datus Prouinciæ , ille idem , qui ex
Quanſiana Metropoli : valdè inhumanè Ruggerium haud pridem eie-
cerat ; ſed aſſiduis eorum precibus annuit Dei benignitas vt mutato
animo barbarus ſalutantes videret exciperétque perhumanè , Rugge-
rium in primis cui præcipuè timebatur ; Lincitani quoque ad maiora
promoti , noſtríque præ omnibus , & contra omnes , in regno patroni,
ſucceſſorem , nouum Lincitanum etiam ſolito experti ſunt affabilio-
rem ; conſuerat enim quoties Sciaochino ex aliis Prouinciis tranſiret,
officiosè illos inuiſere : qua benignitate vtriuſque vius opportuniſſime
Riccius ad augendum noſtrorum numerum, Sandem obtinuit Macao re-
uocari , addíque illi Ruggerium comitem , cenſuit tamen qui Macai
præerat , ſolus abſque ſocio iret Sandes. Vix applicuerat, Sciaochinum
cum duo quos diximus mali Chymici , peiores Chriſtiani , cum inter-
pretibus aliquot , & familiaribus Ruggerij coniurant ad exterminan-
dum Sandem , vt recuperarent Ruggerium , amicum, beneuolum , ſuis
obſtrictum obſequiis , parcè ſibi ab eo cum adeſſet ob inopiam perſolu-
tis. Die inter ſe dicto centum locis libellos proponunt, quibus noui Pa-
tris externi aduentum vulgabant , factum id aduerſus reſcriptum de-
functi officio Lincitani ; niſi vrbem quamprimum purgaret , Siuzaio-
rum Collegio ratum eſſe (qui poſtremi ſunt inter Literatos) queri
apud Proregem , quibus etſi confictis fraudulentorum minis , exiſtima-
uit Sandes tutiùs cedere , paulóque poſt Macaum reuertit , neque pro-
pterea Macao renauigauit Ruggerius , ſed in alia omnia tractúſque
Sinis planè oppoſitos profectionem inſtituit. Inſpector Prouinciæ In-
dicæ Valignanus , inde appulerat Macaum Iulio exeunte anno 1588. Le-
gatos quatuor Iaponum à ſummo Pontifice reduces , patriæ rediturus.
Illic à Ruggerio edoctus poſſe faciliùs quam ferret opinio laxari Euan-
10. De Legatis in Sinas à Pontifice mittendis. gelio in Sinas aditus, pandíque latos ad Sementem campos , vt erat ca-
pacis animi , & cœptorum tenax ingentium quæ ad Præpoſitum Ge-
neralem ante decennium ſcripſerat, vrgere nunc acrius inſtitit. Monue-
rat autem Sinenſi expeditione nullam fore toto oriente lucris animarum
quæſtuoſiorem ; paratiore nullam excipiendis Euangelij ſatibus ; nullam
cuius gratia minus eſſet mittendis operariis parcendum ; ſed nec vllam in-
greſſu difficiliorem , ob innatum genti odium peregrinitatis ; alia omni-
nò tentandum via , quàm quæ miſſionibus aliis ex voto proceſſerat , &
hanc ipſe viam quam expoſuerat , & præterquam omnia caſſis conati-
bus motum iri cenſebat , eandem repetiit , certúſque longa experientia
nullo perſonæ Sinenſis indumento diſſimulari poſſe Europæos , è con-

trario

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

trario ſuſpectos fieri proditionis alicuius, ſtudioſa illa cultus transformatione meditatæ; ex Mandarinis, animo, Magiſtratúque mobilibus, mobilia in ruinam omnia incertáque pendere, annorum labores complurium momento ſecum in præceps tractura; nihil eſſe à ſuſpicionibus, calumniis, & delationibus ſecurum, reſtare vnum idque ſolum denique ſtatuit vt ipſomet ab Rege, Sinarum Monarcha, ſolenni diplomate exoraretur facultas Chriſti præconibus liberæ inter Sinas commorationis: ſed ob inceſſam tanti Principis maieſtatem, non poſſe id aliter obtineri, niſi legatione aliqua illuſtri, & ſplendida, cuiuſmodi foret ab ſummo Pontifice quem non dedeceret res tanti ad Dei gloriam incomparabilem nominis, & momenti. Suſpectos enim à vicinis Principibus legatos fore, ditionum præſertim confinio auctis, gentem ingenio præſtantem; inſitarum virtutum, & moralium ſtudio cultam, religioni veræ ſubiici facilem; numero, Europæ vix imparem, à ſempiterno exitio ſeruare, dignum eſſe opus Chriſti Vicario, Chriſtianorum Patre. Quem porrò mitteret circumſpicienti, ad hæc inſinuanda idoneum, nullus aptior occurrit Michaële Ruggerio experientiſſimo rerum, & regionum Sinenſium, nullus quo minùs ægrè Sinenſis miſſio careret; cum deuectam ætatem, & labantem retro memoriam, illa iam fugeret characterum ſymbolicorum infinitas, & varietas ſonorum quibus Sinici ſermonis elegantia continetur. Monito igitur de profectione adornanda, parauit ipſemet quæ ad felicem illius exitum conducere viſa ſunt, atque ante omnia literas quas poſſet ad Regem Sinarum, Legatis ſuis tradere Pontifex, quarum inter apices duos tantæ dignitatis cum eſſet ratio caſtigatiſſimi decori admodum lubrica, in iis componendis Riccij, Mandarinorum opera Riccius vſus eſt, idémque illas Italicè reddidit ea fide vt ne vis quidem vnius literæ interiret vel obſcurior lateret, quanquam nulla ſatis par lingua ſit quæ Mandarinorum dictatis reſpondeat. Exinc ſummo Pontifici, & Regi Catholico dona, ob longinquitatem in Europa nouam gratius ventura, Mandarinorum ſupremorum duplicem ſuo cum ornatu & inſignibus cultum. Veſtem qua ſolent Sinarum Reges; & coronam figuræ admodum inſolentis. Deſcriptionem Sinenſis imperij Gueipinio opere, hoc eſt ex commiſſis ad latera tabellis minoribus, maiorem tabulam, iiſque cum lubet in cubum cogendis, ſingulari artificio flexilem. Profectionis huius expectationes quò demum euaſerint tribus poſſum lineis edere, nam in nihilum reciderunt, Macai Nouembris viceſimo anni 1588. Sinenſe nauigium conſcendit Ruggerius carioſum & quaſſum; Malacæ Deo prouidente nauim offendit ſublatis iam anchoris ventos in Europam poſcentem, ſed ita confertam vectorum, & mercium onere, vt ſupra rudentes conuolutos ſub dio, imbre & frigore, locum ſibi ægrè inueniret, ex quo illum nauta paulo humanior, poſt menſem, ſub tecto locauit. Proximanti ad cornu bonæ ſpei ſex naues occurrunt fœderatæ, millione aureo ſingulæ diuites, quem ex negotio

21.
Ad hoc in Europ. nauigat Ruggerius.

Luſitani

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN